DE

TEMPORUM RATIONE

VERBI GRAECI ET LATINI

IN UNIVERSUM ET SEPARATIM

DE IIS ENUNTIATIS, IN QUIBUS AORISTUS PRAETERITI ITERATIONIS VEL DIUTURNITATIS SIGNIFICATIONEM

HABERE VIDETUR,

SCRIPSIT

A. FLŒCK.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PARS I.

De temporum ratione verbi graeci et latini.

§. 1.

Temporum doctrinam in difficillimis artis grammaticae partibus esse habendam, inter omnes, qui in his studiis elaboraverunt, convenit. Quamvis enim multa a Stoicorum aetate usque ad nostram memoriam a viris doctis ea de re acute ac subtiliter excogitata literisque mandata sint, iis ne illud quidem effectum est, ut de principiis satis constet, nedum universa disciplina omnibus numeris sit absoluta. Immo vero res etiam nunc eo est loco, ut praecipue si rationem temporum spectas, pleraque, et ea quidem gravissima, sint controversa et plena dissensionis [1]). Cujus rei causam si quaeris, nullam aliam reperies, nisi quod ii, qui in hac disciplina vires periclitati sunt, aut a falsis principiis profecti, alii in alios errores inducti sunt; aut, rectam viam ingressi, in ea persequenda parum sibi constantes serius ocius aberrarunt. In tanta autem eorum, qui hanc materiam tractaverunt, multitudine, quum nullum fere invenissem, a quo non de gravissimis rebus dissiderem: etsi de singulari quadam doctrinae parte quaerere mihi proposueram, tamen quia a principiis ducenda esset, prius de his, quid sentirem, disputare institui; non quo rem tam diu tenebris absconditam a me tandem in lucem prolatam esse aut confiderem aut profiterer, sed ut meam, qualiscunque est, rationem ad id, quod mihi propositum est, muniendum atque illustrandum depromerem. Ita autem in hac quaestione versabor, ut, quae in controversiam vocari video, de iis uberius disputem, ea vero, de quibus nulla est dissensio, paucis absolvam.

§. 2.

Ac primum quidem quoniam ea, e quibus universa temporum doctrina pendet, verbo continentur, illud ipsum quid sit, ante definiendum videtur. Cujus vis in duabus rebus est posita,

---

[1]) De quo si quis forte dubitat, inspiciat ille Hermanni Schmidtii librum, qui inscriptus est: Doctrinae temporum verbi graeci et latini expositio historica (Part. I—IV. Halis Saxonum. 1836—42). Quo libro vir doctissimus quum diversissimas ac quam maxime inter se dissidentes praestantissimorum grammaticorum de tempororum doctrina sententias recensuerit atque uni quasi obtutui objecerit, ita ut facile appareat, quid quisque veri attulerit, quid desiderandum reliquerit, optime de harum rerum studiosis meruisse putandus est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in tempore et in re enuntiata, i. e. actione vel conditione. Significat enim, aliquid aliquo tempore aut esse fierive, aut fuisse factumve esse, aut futurum esse. Ita rectius verbum definire mihi videor, quam qui solam actionis vim ei tribuunt. Multa enim verba non actionem aliquam significare, sed subjectum aut per se aut aliqua conditione esse, manifestum est. Ejusmodi verba sunt praeter ipsum verbum substantivum quod vocant: stare, jacere, pendere, alia, atque etiam ex transitivis nonnulla, quae praeter actionis saepe etiam conditionis vim habent; qualia sunt: scire, habere, tenere, alia. Discrimen autem inter actionem et conditionem hoc est: in actione est motus, in conditione stabilitas; is enim, qui agit, cum actione progreditur, qui aliqua conditione est, quiescit. Actionem generat causa, quae dicitur efficiens; conditio non generatur, sed antecedente actione aliqua generata extat. Actio habet effectum, conditio non habet: nam si quis desiit scribere, scriptum ejus extat, si cogitare, cogitatum, si ire, iter fecit, si judicare, judicium; sin vero jacere, stare, habere desiit, nihil est, quod possit extare dici. Quum vero in temporibus verbi, praecipue perfectae rei, effectus actionis, i. e. conditio, maximi sit momenti, permultaque verba in iis actionis vim omnino deponant conditionisque significationem sumant, magnopere est mirandum, quod illud discrimen a plurimis grammaticis negligitur. Jam vero videamus singulas verbi notionis partes quales sint:

§. 3.

Tempus triplex esse cogitandum: praesens, praeteritum, futurum, inter omnes fere constat [2]); etiam in eo consentiunt, praesens non esse brevissimum illud temporis momentum, quo praeteritum ac futurum et continentur et disjunguntur, sed majorem minoremve utriusque partem animum complecti atque ad ea, quae sunt fiuntve, quae fuerunt factave sunt, quaeque futura sunt referre; indeque fieri, ut de horis, diebus, annis, saeculis praesentibus loquamur. Aliquanto major est dissensio de altera re, quae in notione verbi inest, actione vel conditione; quae quidem dissensio quum tanta sit, ut hic fontes et capita omnium, in quibus temporum doctrina versatur, errorum quaerenda esse videantur, caute nos agere ac firmis niti fundamentis opus est [3]). Quum omnia, quae ad orationem pertinent, ad animum tanquam ad prin-

[2]) Qui quod in compluribus linguis duae tantum simplices temporum formae, aut praesens et praeteritum, aut futurum et praeteritum extiterint, bipartitum tempus pro fundamento ponunt, ut Herlingius (Vergleichende Darstellung der Lehre vom Tempus und Modus. Hannover, Hahn. 1840), non sunt audiendi. Repugnat enim et ratio et usus; atque id ipsum, quod illae linguae, in quibus ab initio praesens et futurum forma non erant disjuncta, magis excultae propriam futuri formam finxerunt, gravissimo est argumento, tria diversa temporum genera menti humanae ad ea, quae sentit et cogitat, exprimenda esse necessaria. — Ceterum quae de tempore ejusque divisione et veteres et recentiores philosophi senserunt, collecta invenis in commentatione Hueseri (Die Zeit und das griechische Zeitwort. Cöslin 1850). Principem autem inter illos philosophos locum tenere videtur Aurelius Augustinus, de quo Fortlagius pag. 3 libri sui, qui inscriptus est: „Aurelii Augustini doctrina de tempore," hoc judicium facit: „nemo inter omnes philosophos in explicanda temporis notione ad veritatem tam prope accessit, quam Aurelius Augustinus." (Confess. XI., 5. sqq.)

[3]) Scitum est illud Fr. A. Wolfii dictum de hac re, (in ejus praelectt. p. 91,): „Die Lehre von den Zeiten und Stufen der Handlung ist dasjenige, was das Verbum am wichtigsten und dunkelsten macht. Man hat eine Menge Systeme, die Schwierigkeiten zu heben. Es ist keine allgemeine Grammatik, die nicht ihr eigenes hätte. Artig ist's, daß die meisten um die richtigsten Ideen herum gehen und nahe daran rühren, daß es scheint, sie haben die richtige Vorstellung. Dies rührt von der Natur der Sache her."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cipium suum referenda sint, primum quaerendum esse videtur, qua potissimum specie actionis ac conditionis notio animo percipienti appareat. Eam autem nullam aliam esse, nisi lineam mathematicam, nemo quidem, qui in rem accuratius inquisiverit, negabit. Quidquid enim actionis vel conditionis aut sensibus percipitur, aut animo ac cogitatione fingitur, ita in mentem intrat, ut singula ejus momenta, velut puncta lineae, alia deinceps alia excipiant. Sic progressus solis orientis, soni cantus, perpetuitas rei per aliquod tempus stantis vel jacentis in mente lineae speciem induunt. Comparatione res etiam magis in lucem proferetur. Sicut mathematici nunc de nascenti linea quaerunt, nunc de nata atque extante, ita res aut in eo, quo maxime fiunt, quas actiones vocamus, aut quo facta conditione aliqua extant, enuntiantur. Punctum, quod movetur, fluxu suo lineam, causa, quae dicitur efficiens, momentorum cursu ac consequentia actionem gignit. Nec minus conditio, qua quis per tempus aliquod esse cogitatur, cum linea in eo congruit, quod utraque in unam modo regionem, longitudinem, protensa animo fingitur. Linea aut definita est, quum et summae extremitates et perpetuitas inter eas intercedens, respiciuntur, aut infinita, quum illarum rerum non habetur ratio, ac regio tantum in universo spatio notatur: pariter actio vel conditio aut ita efferri potest, ut definite indicetur, quo potissimum momento perpetuitatis suae cogitanda sit, aut illud momentum non definiatur, ac simpliciter, quo trium temporis generum cogitanda sit, significetur. Quid plura? Actionem ac conditionem cum linea mathematica nihil non habere commune eamque ob rem pro linea ipsa habendam esse, apparet. Quidquid igitur de hac ratum habetur, idem de illa habeatur necesse est. — Haec mea ratio a viris doctis, qui ante me linea mathematica ad temporum rationem illustrandam usi sunt, non nihil differt: illi enim non actionem ac conditionem, sed ipsum tempus universum lineae specie repraesentarunt [4]), quam ad rem haud scio an parum sit accomodata. Temporis enim tria sunt propria: perpetuitas, consequentia, et ut barbaro philosophorum vocabulo utar, simultanitas [5]); quarum duae priores lineae specie cogitari possunt, tertia vero, simultanitas, non potest. Nam quae uno tempore fiunt, non confunduntur in mente, neque in unum coalescunt, sed acute et dilucide distinguntur ac distinentur. Quocirca universum tempus rectius fluminis, quam lineae specie mente concipitur. Ut enim in flumine innumerabiles aquae particulae, ita in tempore infinita rerum multitudo et simul et continuo cursu, aliae alias sequentes, labuntur. Singulas vero actiones, quae ut aquae particulae flumine, ita universi temporis notione continentur, recte lineas animo fingi, supra probasse nobis videmur.

---

[4]) Eorum primus Harrisius in libro, qui inscriptus est: „Hermes, or a philosophical inquiry concerning universal grammar (London 1751)" multus est, ut lineae mathematicae ope temporis potestatem ac divisionem explanet. Idem post eum quum alii fecerunt, tum Dissenius in commentatione de temporibus et modis verbi graeci (Goettingae. 1808), ubi p. 4: „Equidem" inquit, „hic satis habeo monere, quod neminem fugit, tempus nobis apparere tanquam lineam, in qua media ipsi simus, et quae inde ab eo ipso puncto, quo versemur cogitantes, utrobique in infinitum procedat. Hujus autem lineae quae pars praecedit illud punctum, seu quam, quandocunque cogitemus, ante hanc cogitationem videmus elapsam, praeteritum, quae sequitur, futurum, quae simul est, praesens tempus vocatur."

[5]) Buhlius (Geschichte der neuern Philosophie) qui solus mihi ex iis, qui philosophiae historiam conscripserunt, praesto est, P. VI., p. 603 haec dicit: Die Zeit ist a priori und hat drei Modi: Beharrlichkeit, Folge und Zugleichsein." De tertio modo, quem vocat, p. 604 fusius disserit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

§. 4.

His praepositis, jam ad ipsam temporum descriptionem transeamus. Ex ea, quam supra statuimus, actionis conditionisque natura ac vi efficitur, ut duplici modo, aut definite aut infinite possint enuntiari, quaeque definite efferantur, aut inchoatae ac durantes, aut finitae s. perfectae, aut inchoandae s. futurae ad terna tempora referantur. Inde efficitur hic temporum conspectus:

A. Tempora definitae rei:

I. Tempora rei inchoatae ac durantis:

1) Praesens rei inchoatae ac durantis: scribit, γράφει.
2) Praeteritum rei „ „ „ : scribebat, ἔγραφεν.
3) Futurum „ „ „ „ : scribet, γράψει.

II. Tempora rei finitae s. perfectae:

1) Praes. rei finitae s. perfectae: scripsit, γέγραφεν.
2) Praet. „ „ „ „ : scripserat, ἐγεγράφει.
3) Fut. „ „ „ „ : scripserit, γεγραφώς ἔσται.

III. Tempora rei inchoandae s. futurae:

1) Praes. rei inchoandae s. futurae: scripturus est, μέλλει γράφειν.
2) Praet. „ „ „ „ : „ erat, ἔμελλε γράφειν.
3) Fut. „ „ „ „ : „ erit, μελλήσει γράφειν.

B. Tempora infinitae rei s. aoristi.

1) Praes. infinitae rei s. aoristus praesentis: scribo, γράφω.
2) Praet. „ „ „ „ praeteriti : scripsi, ἔγραψα.
3) Fut. „ „ „ „ futuri : scribam, γράψω.

Disputabitur de singulis accuratius.

§. 5.

Primum omnium contra illos dicendum esse videtur, qui hujuscemodi temporum descriptionem non probant, atque omnino rebus grammaticis rationes ex aliquo systemate philosophico, ut ajunt, desumptas inferri debere negant [6]). Eam ad rem satis habebo iis, quibus alii illos refellerunt, argumentis [7]), haec mea adjicere. Mens humana in aliis eorum, quae oratione exprimit, liberior est, in aliis autem perpetuis aeternisque legibus adstricta, quae eam ob rem omnibus linguis communes sint necesse est. Quae est autem sermonis pars, in qua illud magis appareat, quam quae cum arte mathematica, omnium artium firmissimis fundamentis nitente, in

---

[6]) Herlingius l. l., p. 6.

[7]) Egregie Dissenius l. l., p. 4: „Nos," inquit, „quamquam systemate philosophico hic facile carebimus, philosophia tamen carere non poterimus, quippe explicaturi potius, quam narraturi res grammaticas."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

praeceptisque ac decretis minimum incerti relinquente, eadem habet principia: punctum, lineam, tempus! At, forsitan aliquis quaerat, qui fit, ut in temporum verbi formis linguae tantopere discrepent? Formis illae discrepent, si modo eorum, quae formis istis exprimuntur, ratio in omnibus eadem est. Neque quod in aliis linguis plures, in aliis pauciores temporum formae inveniuntur, unaque forma plures habet significationes, repugnat. Verba ac formae quasi materies sunt, qua mens humana ad ea, quae sentit et cogitat, exprimenda utitur; neque vero lingua statim ab initio exculta fuit atque ad omnes res idonea, immo menti quasi luctandum erat cum materie, quam ut vinceret atque in potestatem suam redigeret, in omnibus linguis non parem in modum contigit; neque ulla est, quae omnibus numeris absoluta possit appellari. Jam vero quum, quod unus casus ad plures ac diversas nominum rationes exprimendas adhibetur, nemini mirum videatur: quid est cur verbo non idem concedatur? Sed satis multa de his, pergamus ad alia atque

§. 6.

De ea temporum ratione agamus, ad quam nostra omnium proxime accedit, Harrisianam [8]) dico; quae tamen quum ipsa a Stoico-Varroniana [9]) profecta sit, ab hac ordiamur. Ea autem hoc uno se commendat, quod actio, e qua praeter tempus universum maxime temporum descriptio pendet, pro divisionis fundamento posita est: nam quum ab hac ratione et aoristi et inchoandae rei tempora absint, sex reliqua tempora ita describuntur, ut actio aut imperfecta, aut perfecta cogitata ad terna tempora referatur [10]). Hanc imperfectam rationem post longum demum temporis spatium, quo doctrina nostra non modo non magis in lucem protracta, sed crassis tenebris prorsus obruta est [11]), Harrisius et aoristis inductis et loco bipartitae actionis tripartita pro fundamento posita amplificavit et explevit, ita ut in universa quidem ratione nihil fere, in singulis tamen multa desideranda relinqueret. Nam, ut post videbimus, neque perfectae atque futurae rei vim ac potestatem penitus perspexit, neque discriminis, quod est inter actionem et conditionem, rationem habuit. Quorum errorum, qui ejus vestigiis ingressi sunt, singulos, quidem correxerunt, ut Reizius [12]), Bernhardius [13]); neque tamen raro factum est, ut idem Harrisianam rationem in aliis emendaret, in aliis depravaret; omnibus numeris eam mea quidem sententia nullus absolvit. Sed hoc jure affirmari posse puto, temporum doctrinam jam melius se habituram, si viam a viris illis apertam deinceps omnes essent persequuti, neque extitissent,

---

[8]) Exposita in libro, quem supra (annot. 4) commemoravimus. Commendatur a Guil. Humboldtio (Ueber die Kawi-Sprache auf der Insel Java, I., p. 278 sq.,) his verbis: „Ich folge nämlich der, wie es mir scheint, mit Unrecht jetzt zu oft verlassenen Theorie der griechischen Grammatiker, nach welcher jedes Tempus aus der Verbindung einer der 3 Zeiten mit einem der 3 Stadien des Verlaufs der Handlung besteht, und die Harris in seinem Hermes und Reitz in leider zu wenig bekannten akademischen Abhandlungen vortrefflich in's Licht gesetzt haben."

[9]) Varronem Stoicorum rationem futuro rei perfectae amplificasse, ait Herm. Schmidtius (De D. T. I., p. 14, IV., p. 1), negat Rud. Schmidtius (Stoicorum grammatica, p. 70). Causa cognita, illi assentimur.

[10]) Qui recentiorum grammaticorum manca illa atque imperfecta ratione acquieverunt, Zumptius, Ramshornius, alii, merito ac jure in multorum reprehensiones inciderunt, ut Putschii in commentatione: „Ueber die Unhaltbarkeit der Zumptischen Theorie von den lateinischen Temporibus (Gymnasialzeitung 1841, Nr. 9).

[11]) Fusius de ea re dicit H. Schmidtius de D. T., P. I.

[12]) In dissertatione de temporibus et modis verbi graeci et latini edita Lipsiae 1766.

[13]) In libris, qui inscripti sunt: Sprachlehre. Berl. 1801; Anfangsgründe der Sprachwissenschaft. Berl. 1805.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qui ea relicta, ab aliis principiis profecti novam ac plane diversam rationem induxissent. Horum princeps est Hermannus [14]), qui eo, quod praeter tria universi temporis genera actionemque aliam rem sententiarum nexu vel narratione cognitam ad temporum descriptionem adhibuit, nominis autoritate plurimos et eruditissimos viros ab illa ratione in suam abduxit atque effecit, ut per longum temporis spatium temporum doctrinae singulae quidem partes illustrarentur atque excolerentur, universae tamen perfectio detineretur. Nostris tandem diebus H. Schmidtius temporum descriptionem a re illa narratione cognita rursus ad solam actionem universumque tempus avocavit, quod meritum, quamquam et ipse in pluribus rebus nobis quidem rectum non videtur vidisse, tamen censemus esse maximum. Jam vero, quibus rebus nostra ratio aut ab Harrisiana aut ab aliis discedat, proximis capitibus exponemus.

§. 7.

Ac primum quidem de inscriptione nostra — Tempora definitae et infinitae rei — pauca dicamus. Quae res etsi levis est momenti, tamen non omnino negligenda videtur. Longius nomen breviori atque contracto — Tempora definita et infinita — propterea praeferendum putamus, quod nobis accuratius rectiusque esse videtur. Brevius enim non solum in medio relinquit, utrum eorum, quae verbi notione continentur, definitum aut infinitum sit cogitandum, tempusne an actio conditiove, sed etiam alias ob causas minus probandum est. Nam quum tempus definitum dicimus, aut aliquam verbi formam, quod tempus vocitatur, putare possumus, aut ipsum tempus universum, aut denique illud temporis spatium, in quod actio aliqua vel conditio incidit. De primo non facile quisquam cogitabit; absurdum enim est. Non magis alterum recte potest admitti. Neque enim tempus esse, quod illis verbi formis definiatur [15]), sed rem oratione elatam, actionem conditionemve, et ex iis, quae supra de harum vi ac natura protulimus, patet, et exemplis facile potest comprobari: Cicero quum dicit (Fin. II, 8, 25): „Laelius veniebat ad coenam, ut animo quieto satiaret desideria naturae“, non quo anno, quo die, qua hora temporis praeteriti ille ad coenam venerit, imperfecto „veniebat“ vult indicare, sed veniendi actionem saepius repetitam esse atque ad omnem Laelii vitam pertinere. Neque hoc Liviano loco (XXI, 39, 14): „Quum Placentiam Scipio venit, jam ex stativis moverat Hannibal,“ aut aoristus praeteriti „venit“ a scriptore positus est, quod quo tempore illud factum sit, non definiret, aut plusquamperfecto „moverat“, quod definiret — neutro enim illud tempus indicatur, utroque autem ea, quam altera actio ad alteram habet, temporis ratio —; sed plusquamperfecto, movendi actionem jam absolutam fuisse, quum altera res facta sit, significatur. Sed jam exem-

---

[14]) Rationem suam exposuit in libro, cui titulus: De emendanda ratione graecae grammaticae. Lipsiae 1801.

[15]) In illo errore praeter alios Dissenius est versatus, id quod haec ejus verba probant (l. l., p. 5): „Possumus simpliciter dicere, rem tempore praeterito factam, ita ut momentum, quo facta sit, accuratius non definiamus, atque hanc quidem in rem utemur aoristis. — Sed non ubique hoc permissum; occurrunt non raro, quae quando facta sint, definitius debeas significare. Atqui vix hoc fieri poterit, nisi aliam quandam rem circumspicias eodem momento factam eamque satis notam, quippe quod hac sola ratione illud momentum, de quo loquaris, et quo gesta sit res illa altera, accurate indicare possis.“ Fusius illum errorem redarguit H. Schmidtius de D. T. P. III., p. 13 sq. — Neque Hermannum falsae illius opinionis fuisse expertem, ostendit ea, quam de aoristis aperuit, sententia (l. l., p. 187): — „ita ut, quod aoristo tempore factum dicitur, aeque nunc possit atque olim aliquando peractum esse, illudque tempus, quo peractum sit, incertum indefinitumque relinquatur.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

plorum satis, neque multis opus est, ubi res ipsa tam plane loquitur. Quoniam igitur definiti temporis nomen non potest ad ipsum universum tempus pertinere, restat, ut ad illud temporis spatium referatur, in quod actio aliqua seu conditio cadit. Hoc quidem id est, quod quaerimus, sed quo minus inscriptionis sit loco, hoc est impedimento, quod alterum duorum, quae verbo continentur, quodque proprie temporis nomine insignitur, non complectitur. Plane igitur ab ista appellatione abstinendum est. Eadem ratione pleraque alia, quibus grammatici uti solent, contracta temporum nomina aut plane vitiosa esse atque inepta, aut saltem non idonea, demonstrari potest. Exempli causa affero illud G. Hermanni „Praeteritum perfectum", quod nostrum praesens rei perfectae intelligi vult. At hoc, nisi verba „praesenti tempore" cogitatione suppleverit, nemo intelliget. Sed quia eodem jure „praeterito tempore" potest suppleri, illud nomen propter ambiguitatem ad rem, quam debet, notandam, non est accomodatum. Ita etiam fieri potuit, ut quo nomine Hermannus perfectum grammaticorum explicaret, idem Schmidtius (De D. T. III, 1) plusquamperfecto imponeret, contra illud „praesens perfectum" nominaret [16]). Satis sit, quod inter usitata illa atque in omnia grammatica recepta nomina plura sunt absona atque absurda, ne talia nova fingamus.

§. 8.

Deinde etiam de pervulgata illa temporum partitione in relativa et absoluta, quae e re nostra sunt, dicenda esse videntur. Infelicius profecto nomen cuique plures ac magis diversae significationes tribuantur, nullum a grammaticis inventum est [17]). Nam quum relativum id esse constet, quod ad aliud quidpiam, e quo pendet, refertur, in verbi autem temporibus multa sint, quorum unum ad alterum possit referri, factum est, ut quot relationes possent cogitari, tot fere a grammaticis partitionis fundamenta jacerentur. Quae illorum de hujus nominis usu dissensio quo melius atque planius perspiciatur, nobilissimorum de eo sententias recensebimus. Inventor nominis imperfectum et plusquamperfectum relativa dicenda esse existimat, quod iis semper actio ad aliud tempus referatur. Quorum ratio a bipartito tempore proficiscitur [18]), ii duo illa primaria tempora absoluta, cetera, quod ab illis pendeant atque orta sint, relativa nominant. Plerique vero in eo consentiunt, quod nostra definitae rei tempora relativa, cetera absoluta appellant, variis tamen atque diversis rationibus adducti: Hermannus [19]) et qui eum sequuti sunt [20]), relationem ita constituunt, ut is, qui enuntiat, tempus, in quod actio cadat, aut ad id momentum, quo maxime loquatur, referat, ita ut aut praecedat illud, aut una sit cum eo, aut sequatur — tempora per se constantia ac definita s. relativa non proprie dicta: praes., perf., fut. periphr.

---

[16]) In libro, qui inscriptus est: Der griech. Aorist in seinem Verhältnisse zu den übrigen Zeiten, p. 1.

[17]) Relativi temporis nomen Schmidtio teste (De D. T. P. III., p. 6) invenit Cornelius Valerius Ultrajectinus, cujus Institutiones grammaticae prodierunt Antverpiae 1567. Absoluti temporis nomine Perizonius in Sanctii Minerva (p. 9) primus usus esse dicitur.

[18]) Herlingius l. l., p. 92.

[19]) De E. r. gr. gr., p. 181 sqq.

[20]) Ellendtius (Latein. Grammatik, Leipzig 1847); Weissenbornius (Syntax der lat. Sprache. Eisenach 1835); C. Schulzius (Bedeutung und Aufeinanderfolge der Zeiten. Brandenburg 1838), et praeter alios Frankius in censura Schmidtiani libri de D. T., quae inest in commentariis, qui inscripti sunt: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft, herausgegeben v. Dr. Th. Bergk u. Dr. J. Caesar, Jahrgg. 1845, pag. 233 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

praes. —; aut ad aliam rem narratione cognitam — tempora ex aliis pendentia s. relativa proprie dicta: nostra novem definitae rei tempora. — Kühner [21]) in eo cum Hermanno consentit, quod tria temporum genera proponit: I. quae semper absolute, II. quae semper relative, III. quae modo absolute, modo relative usurpantur; sed perfectum proprium semper absolutum esse censet. Etiam Hasius [22]) cetera quidem Hermannum sequitur, futurum tamen absolute posse usurpari negat, ita ut duo tantum absoluta tempora relinquantur. Bekker in grammaticis libris suis praesens, perf. et fut. absoluta tempora nominat, quum iis ea, quam praedicatum habeat, temporis ratio ad enuntiandi tempus referatur, cetera relativa, quibus illa ratio una etiam ad aliam rem referatur. Contra Wagner [23]) prima illa „tempora primaria optimo jure relativa vocari posse", dicit, „quod eorum nullum sine duorum reliquorum altero saltem cogitari possit". Etiam Dissenius, quae est ejus de relationis vi ac natura sententia [24]), illa tempora proprie relativis adscribat oportet. Kiefer [25]) contra non modo tres aoristos et tria tempora, quae rem aliquam ad praesens tempus referunt, absoluta esse, sed etiam imperfectum modo absolute, modo relative usurpari posse contendit, ita ut quinque tantum relativa tempora reliqua sint. C. Guil. Krueger [26]) denique absoluta tempora nulla, omnia relativa esse dicit.

Hoc vero et ipsi censemus atque in temporum formis aliam relationem, nisi eam, qua actio aliqua conditiove ad terna tempora referatur, quaeri debere negamus. Hanc autem relationem etiam aoristi habent, qui eo tantum differunt a ceteris temporibus, quod non certae quaedam partes rei, sed res tota, singularum partium non habita ratione, ad tempus aliquod refertur. Qui vero quaedam tempora eam ob causam relativa esse putant, quod ex alia re narratione cognita pendeant, iis recte opponitur, ejusmodi relationem persaepe et imperfectum, quod illis temporibus adnumerant, non habere et absolute usurpari, ut in hac Phaedri fabula (Append. 17 init.): „Bellum gerebant volucres cum quadrupedibus et vincebantur versa victores vice," et aoristum habere, illorum igitur ratione in relativis habendum esse. Quis enim in hoc Ciceronis loco (Divin II, 1): „Sex libros de rep. tum scripsimus, quum gubernacula reip. tenebamus," scribendi tempus, i. e. quo tempore illi libri scripti sint, altera sententia secundaria accuratius definiri atque ex ea pendere non videt? Contrarium, aoristum in secundaria, imperfectum in primaria sententia praebet alius ejusdem locus (Fam. II, 8, 3): „Proficiscebar Athenis, quum hoc ad te literarum dedi." Temporum autem relationem non ex ipsa formarum

---

[21]) Ausführliche Gramm. der griech. Spr., II., p. 60.

[22]) In 446. annotatione ad Reisigii librum, qui inscriptus est: Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft. Leipz. 1839.

[23]) In commentatione de temporibus verbi, imprimis latini, iterum typis expressa in ejus opusculis academicis. I., p. 146 sqq.

[24]) L. l., p. 8: „Quare quum ea vera relatio sit, si quid recte cogitari non possit, nisi cum alio quodam cogitatum, cum quo si fiat, uno fiat eodemque tempore: quid dubitamus tria ista tempora relativa esse, quae quod ponunt, in eo ipso tempore ponunt, quo cogitamus." Perversam hanc de relatione opinionem refutat Schmidtius de D. T. P. III., p. 12 sqq.

[25]) Gebrauch der Tempora und des Reflexivs in der lat. Sprache. Zweibrücken 1832.

[26]) Griechische Sprachlehre. Berlin 1842. Ejus verba haec sunt (§. 53): Jede Zeitbestimmung ist relativ, d. h. sie bedarf der Beziehung auf eine andere, mit Rücksicht auf die sie erscheint, als was sie vorgestellt wird. Es gibt mithin kein an sich absolutes Tempus. Am wenigsten ist ein solches das Praesens, das einen zwiefachen Gegensatz hat, den der Vergangenheit und den der Zukunft, deren Grenzscheide es bildet."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

notione, sed ex aliarum sententiarum temporibus ducere, tam perversum est, quam ad modos describendos eam, quam habent sententiae inter se, rationem pro fundamento ponere [27]).

§. 9.

Novum et ab illis prorsus alienum relationis genus H. Schmidtius in libris, quos saepius laudavimus, proposuit eoque nisus fundamento quum temporum partitionem fecit, tum aoristi vim ac naturam explicare conatus est. De cujus ratione, quum omnium, quae nostra aetate prodierunt, auctoritate plurimum valeat, operae pretium est, accuratius disputare [28]). Schmidtius igitur nostra definitae rei tempora „non ut vulgo opinantur, quia referantur ad alia verbi tempora, sed quia in iis ipsis jam actio semper relata ad conditionem sit, jure appellari relativa posse“ censet [29]). Illam autem conditionem qualem sibi cogitaverit vir doctissimus, si quaerimus, compluribus locis [30]) eum esse statum docet „in quo domicilium quasi fixerit et habitet loquentis animus (Temporeller Zustand oder der Zeitboden des Redenden, de aor. p. 4). Quum enim actione contineatur motio, conditione stabilitas, illius tempus cum universo tempore necesse esse progredi, hujus autem in eo fixum et constans esse. Etsi enim per se quidem continenter labi et fluere tempus constet, sisti tamen hanc fugam et inhiberi quasi mentis humanae vi“. — Jam vero si amplius quaerimus, ubi illud animi ejus, qui loquitur, domicilium, si quod est, cogitandum sit, nos quidem nullum alium locum reperire possumus, nisi eum, ubi is, qui agit aliquid, vel patitur, vel aliqua conditione est, i. e. subjectum esse cogitatur. Nam qui loquitur, de subjecto aliquid enuntiat, in ejus igitur locum et suum et audientis animum quasi transferat necesse est. Animo agentem aliquid per totam actionis perpetuitatem prosequitur, cum eo, qui aliqua conditione est, commoratur. In iis igitur verbis ac verbi formis, quibus subjectum conditione aliqua esse indicatur, et ipsi loquentis animum fixam quandam sedem habere videmus, i. e. verborum, quae conditionem significant, in omnibus formis; quae actionem, in temporibus solum perfectae et inchoandae actionis: nam his quoque subjecti non actio ipsa, sed conditio illam aut subsequens aut antecedens ad terna tempora refertur. Exemplis res magis illustrabitur. In γέγραφεν i. e. γεγραφώς ἐστιν subjecti actio perfecta s. praeterita, conditio praesens est; significat enim: nunc est aliquis, qui scribendi actionem absolvit. Ad idem vero praesens tempus is, qui loquitur, finitam actionem refert: utriusque igitur conditio, si tempus spectas, una eademque est. „Scripturus erat epistolam“ significat: subjectum praeterito tempore scribendi actionem in animo ita habebat praeparatam, ut initium ejus instaret. Ex illo ipso acturi animo is, qui loquitur, actionem spectat atque enuntiat: ergo in hoc quoque utriusque conditio una est. In iis contra formis, quibus subjectum in actione ac motu esse cogitatur, non possumus, quin etiam loquentis animum cum actionis auctore moveri cogitemus. Sed hoc est, quod Schmidtius negat. Dicit enim (de D. T. IV, p. 10): „Consentire aoristum et imperfectum“ (quod hic inchoatae ac durantis actionis temporum instar sit) „dicenda in eo erunt, ut qui utitur iis, praesentem se cogitet rei, quam com-

---

[27]) Cf. Schmidtius de Aor., p. 33.

[28]) Censuram ejus a Frankio scriptam supra (an. 20) commemoravimus. Ad eam auctor in libro de Aoristo graeco respondit.

[29]) De D. T. IV., p. 7.

[30]) Ibidem et de Aor. p. 1 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

memorat, ita ut non excedat terminos ejus; differre autem inter sese ita, ut qui utitur imperfecto, propter conditionem adjunctam actioni, in media re et semet ipsum et audientes ponat atque defigat quasi; qui aoristo, pro solius actionis natura, per mediam eam et ipse progrediatur et audientes progredientes faciat ad extremam partem" [31]). Et p. 6: Quae „si in primarias partes resolvimus tempora (actionis durantis) — quis non intelligit, quaeso, in verbis γραφὼν ἦν, h. e. ἔγραφον, non minus, quam in γεγραφὼς ἦν, i. e. ἐγεγράφειν, actionem referri ad conditionem?" At primum concedere non possumus, „propter conditionem adjunctam actioni" eum, qui utatur imperfecto, et semet ipsum et audientes in media re ponere. In his enim temporibus sola actio cogitatur, effectus ejus s. conditio non respicitur: ejus igitur vis in loquentis animo nulla est; nam ut primum animus ad effectum actionis attendit, actio ipsa ei perfecta appareat necesse est. Neque illud quod dicit, ἔγραφον idem esse, quod γραφὼν ἦν, formaque ἦν conditionis s. stabilitatis notionem declarari putat, certum atque exploratum est. Latini quidem imperfecti forma obloquitur; nam terminationem „bam" ejusdem stirpis esse constat, cujus verbum „fio" [32]), unde efficitur, ut etiam altera pars illius compositi non stabilitatem, sed motum significet, et „scribebam" non valeat, „scribens eram", sed quasi „scribens fiebam". In imperfecto autem ejus, qui loquitur, animum non e sede quadam in media actione fixa eam utroque versum spectare, sed ut in ceteris temporibus eodem loco se fingere cum agente atque eum per omnem actionis perpetuitatem prosequi, et iis, quae supra a nobis de hac re dicta sunt, videtur probari, et primis quibusque exemplis potest demonstrari. Apud Homerum legimus (Il. ψ, 362):

„Οἱ δ' ἅμα πάντες ἐφ' ἵπποιϊν μάστιγας ἄειραν,
Πέπληγόν θ' ἱμᾶσιν, ὁμόκλησαν τ' ἐπέεσσιν
Ἐσσυμένως· οἱ δ' ὦκα διέπρησσον πεδίοιο".

Ubi in actione: „οἱ δ' ὦκα διέπρησσον πεδίοιο" animus poetae positus cogitandus est? Num in medio cursu? quis credat? Imo et ipsius animus equos a carceribus usque ad extremum cursum prosequitur et audientium animos per omnem cursus perpetuitatem rapit [33]).

Et hoc Odysseae loco (XI, 593 sqq.):

„Καὶ μὴν Σίσυφον εἰςεῖδον, κρατέῃ' ἄλγε' ἔχοντα —
Λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον· ἀλλ' ὅτε μέλλοι
Ἄκρον ὑπερβαλέειν, τότ' ἀποστρέψασκε κραταιΐς
Αὖτις· ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής" —

Non possumus, quin poeta praeeunte infelicem illum heroem per saepius repetitum laborem prosequamur. Quis etiam in his Phaedri versibus (II, 7): „Muli gravati sarcinis ibant duo;

---

[31]) De D. T. IV., p. 14, aliis verbis idem fere dicit: In aoristis „enim progredientes cum actione perpetuitatem simul ejus complectitur, hic in media actione positi utroque versus pertinentem eam persequimur. Ibi igitur actionem spectamus per se, hic conditionem simul ejus, cujus est actio."

[32]) Vide quae de ea re disputat G. Curtius in libro, qui inscriptus est: Die Bildung der Tempora und Modi im Griechischen und Lateinischen. Berl. 1846, p. 290—94.

[33]) Quum Schmidtius (De D. T. IV, p. 6) in aoristo „mobilitatis cujusdam et levitatis, in reliquis contra temporibus gravitatis quasi atque constantiae notam" videat, illam velociter campum percurrendi actionem aoristo potius, quam imperfecto expressam exspectare debebat. Itaque ejusmodi imperfectis intensivam quandam vim tribuit (Ibid. p. 19); nos vero ex hujusmodi locis definitionem aoristi ab eo propositam magis imperfecto, quam aoristo convenire colligimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Unus ferebat fiscos cum pecunia, Alter tumentes multo saccos hordeo", poetam in media eundi actione collocatum credat? Imo una quasi cum malis illis iter facit audientibusque, quae in eo facta sunt, refert.

Aliter se res habet, quum ipsum subjectum non in actione aliqua, sed conditione, quam nos vocamus, versatur: tum etiam loquentis animus fixam quasi sedem habet, ut in hoc ejusdem poetae loco (II, 1): „Supra juvencum stabat dejectum leo".

His a nobis allatis et argumentis et exemplis id quidem probatum esse videtur, neque discrimen inter imperfectum et aoristum id esse, quod Schmidtio placet, neque illam, quam in medio posuit, loquentis conditionem in omnibus temporibus, in quibus debeat, valere, neque igitur relationem, quam inter eam et actionem intercedere putat, posse fundamentum esse, quo temporum divisio nitatur. Quam relationem si ad verum revocamus, non diversam esse ab ea videmus, quam actionis conditionisve tempus habet ad id tempus universum, ad quo refertur.

De partitione temporum in relativa et absoluta haec quidem hactenus. Jam vero ad partes ipsas progrediamur ac primum disputemus:

§. 10.

De temporibus rei inchoatae ac durantis.

His qui utitur, ejus est consilium, ut audientis animus subjectum, si agens est, actionem inchoasse atque in ea progredi, conditione si qua est, per omnem ejus perpetuitatem manere sibi fingat. Atque ut corporum, quae moventur, cursus facile numeris persequimur, si aliquot eorum loca observatione sunt cognita: ita etiam res per intermissiones atque intervalla factae perpetuitatis speciem praebent recteque definitae habentur. Jam vero etiam ejusmodi actiones proprie his temporibus efferuntur, quae priusquam ad finem sint perductae, interrumpuntur, quia et ipsae inchoatae sunt atque aliquamdiu duraverunt. Ex illa igitur nativa vi ac potestate tanquam e communi fonte varia usus genera emanant:

Primum his temporibus is, qui loquitur, res nascentes ac progredientes animis audientium producit, atque ut ad singula earum momenta attendant et quasi morentur, efficere vult. Praesens habemus in pulcherrima illa mulieris omnibus placendi studiosae descriptione apud Ennium (Frgg. vetrr. poet. lat. ed. ab H. Stephano p. 131): „Quasi in choro pila ludens Datatim dat sese et communem facit: Alium tenet, alii nutat; alibi manus Est occupata; alii pervellit pedem; Alii dat annulum spectandum; a labris Alium invocat; cum alio cantat, et tamen Alii dat digito literas." — Imperfectum apud Ciceronem (Tusc. V, 21): „Aderant unguenta, coronae, incendebantur odores, mensae exquisitissimis epulis extruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur." Futurum praebet illud Horatii carmen, quo sibi nominis immortalitatem auguratur (Od. II, 20): „Non usitata, non tenui ferar Penna biformis per liquidum aethera Vates: neque in terris morabor longius: invidiaque major urbes relinquam". Et in hac et in Ennii descriptione ad praeteritum tempus translata imperfectis opus esse patet.

Deinde illis scriptores utuntur, quum vel diuturnas res easque, quae fiunt ac durant, dum aliae fiunt, vel saepius, sive ab uno, sive a pluribus repetitas, quaeque in consuetudinem venerunt, efferre volunt. Exemplorum non est inopia, atque prioris generis haec sunt: Tac. Germ. 1: „Cetera Germaniae oceanus ambit". Cic. pro Mil. 10: „Silent leges inter arma". Caes. B. G. 7, 69:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„Caesar Alesiam circumvallare instituit. Erat oppidum in colle summo, cujus collis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant. Ante id oppidum planities circiter milia passuum tria in longitudinem patebat: reliquis ex omnibus partibus colles oppidum cingebant". Cic. Cat. Maj. 22: „Nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis; sed eum esse in hoc corpore ex iis rebus, quas gerebamus, intelligebatis". Somn. Sc. 4: „Te Senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus". — Huic generi jure etiam illa praesentia adnumerantur, quibus res non ad certum aliquod tempus, neque ejus, qui loquitur, neque rei narratione cognitae, sed ad se ipsam, ut ita dicam, i. e. ad omnia omnium aetatum tempora refertur; sicut philosophorum axiomata et mathematicorum theoremata enuntiari solent. Ea enim, quum is, qui loquitur, ad quamlibet universi temporis partem rem pertinere indicet, definita habeantur necesse est, ut: „Virtus ad beate vivendum se ipsa est contenta" (Cic.): „Nihil honestum esse potest, quod justitia vacat" (idem). De praesentibus: dicunt, tradunt, similibus controversia est. Plerique ea, quod de aliqua quacunque temporis parte accipienda sint, pro aoristis habent [34]); nos vero, quia iis res non sub unum adspectum audientis animo subjicitur, sed et ad plures auctores, et ad majorem praesentis temporis partem pertinere indicatur, non possumus non definitae rei temporibus ea adjudicare. — Iterationem et consuetudinem praebent: Hor. Sat. 2, 7, 28: „Romae rus optas; absentem rusticus urbem Tollis ad astra levis". Liv. 23, 18, 15: „Per omne aestivorum tempus magna pars (militum) sine commeatibus ab signis dilabebantur". De uno scriptor dixisset: dilapsus est, discessit; imperfecto rem ad plures pertinere significat. Nep. Phoc. 1: „Fuit perpetuo pauper, quum ditissimus esse posset propter frequentes delatos honores potestatesque summas, quae ei a populo dabantur", ubi imperfectum eadem ratione positum est. Cic. Fam. 6, 10 fin.: „Quae sunt in fortuna, temporibus regentur et consiliis nostris providebuntur". — Denique praesenti et imperfecto rei inchoatae ac durantis (in futurum non cadit) proprie exprimuntur eae res, quae inchoantur quidem, sed priusquam ad finem sint perductae, interrumpuntur. Nonnunquam vero re ipsa ne inchoantur quidem, sed agentis animo conceptae, priusquam fieri coeptae sint, reprimuntur (praesens et imperfectum conatus). Illius exemplum habemus apud Homerum (Il. α, 193 sq.): „Ἠὼς ὁ ταῦθ' ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν, Ἕλκετο δ' ἐκ κολεοῖο μέγα ξίφος". Quominus ensis educendi actionem perficiat, impeditur a Minerva his verbis (v. 210): „μηδὲ ξίφος ἕλκεο χειρί". Eum autem partem ensis jam eduxisse, ostendit v. 220: „ἄψ δ' ἐς κουλεὸν ὦσε μέγα ξίφος". Imperfectum conatus extat apud Ciceronem (ad Att. 7, 23): „Mutavi consilium de mulieribus, quos ut scripseram, ad te Romam remittebam." Alterum apud Sophoclem (Oed. T. 1454): „οἱ μ' ἀπολλύτην" i. e. qui me perdere parabant [35]).

---

[34]) In universum ii, qui aoristorum vim non in infinita actione conditioneve, sed in infinito tempore universo quaerunt: Hermannus (l. l. p. 195), Dissenius (l. l. p. 7), alii. Dissenius l. l.: „Sic", inquit, „v. c. illud dicunt, ferunt, quando non intelligitur de eo momento, quo loquimur et cogitamus, de aliqua quacunque temporis parte accipiendum i. e. pro aoristo habendum". V. Schmidtium de D. T. III, p. 15; de aor. p. 70 sqq.

[35]) Ubi aoristus similem significationem habere videtur, sententia cogitando explenda est, ut, quum quis dicit: „ἀπώλεσάς με" intelligendum est: „quantum per te fuit".

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

§. 11.

Tempora rei finitae s. perfectae.

His vero is, qui loquitur, actionem conditionemve e ternis temporibus spectatam sive paulo, sive multo ante [36]) finitam esse indicat; in quo tamen inter actionem et conditionem hoc est discriminis: conditio, quippe quam effectus non sequatur, simpliciter finita esse i. e. desiisse effertur, ut illud Virgilii (Aen. 2, 325): „Fuimus Troes, fuit Ilium et ingens gloria Teucrorum", nihil aliud significat, nisi: Troes esse desiimus, non jam sumus; Ilium non jam extat. Item Graecorum „βεβίωκεν" hanc vim habet: vivere desiit, inter vivos non jam versatur. Etiam perfectum „habuit" saepissime idem valet, quod habere desiit, non jam habet, caret, eget, id quod Cicero (Tusc. I, 12) distincte dicit: „Triste est nomen carendi, quia subjicitur haec vis: habuit, non habet, desiderat, requirit, indiget". Contra actionis efferendae ratio propter effectum eam sequentem his temporibus triplex est: Aut effectus illius nulla omnino habetur ratio atque, ut in conditione semper, actio simpliciter absoluta esse enuntiatur; sic orator se perorasse indicabat verbo „dixi", in judiciis praeco finem orationum causidicorum verbo „dixerunt"; aut utrumque et actio finita et effectus ejus s. conditio extans simul cogitatur, ut illud Horatii (Od. III, 30 in.): „Exegi monumentum aere perennius" idem est, quod absolutum a me extat monumentum aere perennius; et pro his: „quae fuerit causa, mox videro" Cicero (Fin. 1, 10, 35) sententia non mutata dicere potuit: Quae fuerit causa, mox cognitum habebo ac sciam; aut denique actionis omnino non habetur ratio, atque sola respicitur conditio illam sequuta, ita ut praesens, praeteritum, futurum *actionis perfectae* transeat in praesens, praeteritum, futurum *conditiouis durantis*. Exemplorum magna est copia; latina: novi, cognovi, memini, odi, adsuevi, constiti, veni, alia; graeca: κέκτημαι, γέγονα, ἔοικα, ἧμαι, οἶδα, ἕστηκα et permulta alia, in quibus etiam Homericum illud ἀμφιβέβηκας (Il. α, 37): „Κλῦθι μοι Ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας" habendum est.

§. 12.

Tempora rei inchoandae s. futurae.

Pervenimus jam ad ea tempora, quae ut formatione in linguis omnium sunt novissima minimeque perfecta: ita a grammaticis et postrema [37]) neque ab omnibus [38]) recepta, et a plu-

---

[36]) Neminem quidem hodie inveniri puto, qui in plurimorum veterum ac multorum recentiorum grammaticorum (etiam Harrisii et Hermanni) errore versetur, perfectum semper actionem modo peractam s. praesenti tempore terminatam significare. V. de eo Schmidtium de D. T. I, p. 19 sqq.; III, 2, 10; de Aor. p. 64 sqq.

[37]) Primus ea in temporum doctrinam induxit Harrisius.

[38]) Non receperunt: J. P. Vaterus, Zumptius, Etzlerus, O. Schultzius, Fr. Wuellnerus, alii, duabus potissimum causis inducti, quarum una est, quod actio, quae illis formis exprimatur, quum in subsequens tempus cadat, antecedente tempore, quo nondum coepta sit agi, non possit actio nominari; altera quia temporis notio iis expressa non, ut in ceteris simplex atque pura, sed voluntatis contagione commista sit. — His latinae linguae illam temporum seriem abjudicantibus, graecae abjudicat idem, qui Latinarum formarum contra illos causam obtinuit, H. Schmidtius, hac potissimum ratione permotum se dicens, quod verbum μέλλω, quo graeci ad ea tempora formanda utuntur „in semet ipsum jam significationem inchoandae actionis contineat, neque verius igitur formae μέλλω, ἔμελλον, μελλήσω γράφειν, quam θέλω, ἔθελον, θελήσω γράφειν et multae, quae his similes sint, aliae in temporum ordinem possint recipi". Haec tamen ratio, quamvis sit speciosa, mihi quidem minime probatur;

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rimis eorum, qui ea receperunt, parum intellecta. Quare qui accurate de iis agere voluerit, is duo maxime facere debebit: et illorum, qui ceteris temporibus ea adnumeranda esse negant, argumenta refellere, et vim ac potestatem horum temporum rationi atque usui convenienter definire. Utrumque maxime egregie et praeclare praestitit H. Schmidtius (De Doctr. Tpp. II, p. 3, 12 sqq.), ac nescio, an huic parti operis ejus omnium primae deferendae sint. Ad illum igitur, quum et argumenta ab adversariis illis allata non admodum gravia sint difficiliaque ad redarguendum, et temporum descriptioni hanc tertiam seriem necessariam esse ratione nostra satis patere videatur, priorem partem muneris nostri delegamus; alteram partem eodem duce paucis absolvamus. His igitur temporibus is, qui loquitur, actionem conditionemve in subjecti voluntate, natura, conditione, facultate, necessitate vel si quae alia sunt, quae actionem generare possint, ita praeparatam esse indicat, ut ejus initium sive paulo, sive multo post instet. Ipsum autem initium, quo in errore inter alios Harrisius versatus est, non magis significant, quam tempora perfectae rei finem; sed ut his simul et finita res ad aliquod subsequens tempus relata et conditio subjecti hoc tempore extans respicitur: ita illis aeque et inchoandae rei ex aliquo antecedente tempore spectatae et ejus, qua subjectum hoc tempore est, conditionis ratio habenda est. In quod temporis momentum initium actionis cadat, non temporis forma, sed aliis partibus orationis accuratius definitur, ut in his Ciceronis locis (Fam. 3, 5): „Tibi de nostris rebus nihil *sum ante mandaturus* per literas, *quam desperaro*, coram me tecum agere posse"; (ad Att. 6, 9): „Ego tabellarios *postero die* ad vos *eram missurus*."

Jam ad universam potestatem horum temporum illustrandam pauca exempla adjiciamus: Voluntatis ac consilii significationem praebent: (Seneca de Ira. I, 1): „Injuriam qui *facturus est*, jam facit"; (Idem Clem. 1, 18): „Vedius Pollio devorandos servos objiciebat muraenis, quas *esurus erat*". Naturae ac conditionis (Sen. de Ira. 3, 11): „Si irasceris juvenibus senibusque, quod peccant, irascere infantibus, quod *peccaturi sunt*", i. e. ea sunt natura praediti, ut peccaturi sint; (Idem de Benef. IV, 40, 4): „Aliquando et non reddam beneficium, quum possim: quando? si plus mihi *detracturus ero*, quam illi *collaturus*", i. e. si res erunt eae, ut plus mihi detraham, quam illi conferam; (Cic. Fam. 2, 2): „Quoquo enim modo nos gesserimus, fiet tamen illud, quod *futurum est*" i. e. quod pro rebus et temporibus necessario eveniet.

Ex his, quae diximus, jam apparet, multum interesse inter futurum rei durantis et praesens rei futurae s. futurum compositum praesentis. Illo animus loquentis eo tempore, in quod res cadit, i. e. futuro se esse fingit, hoc rem e praesenti spectat; illud subjectum aliquando vere aliquid peracturum vel aliqua conditione futurum enuntiat, hoc e praesenti subjecti voluntate, natura, conditione, facultate futuram ejus actionem conditionemve quasi praedicit. „Bellum scribam" significat: aliquo futuri temporis momento scribendi actionem vere peragam; „b. scripturus sum": eam actionem nunc ita animo habeo praeparatam, ut initium ejus instet. Itaque ambo interdum juncta inveniuntur, ut apud Ciceronem (de Or. I, 52): „Teneat oportet orator eorum, apud quos aget aut erit acturus, mentes sensusque degustet", ubi futurum „aget" in universum denotat id

nam si ea ad tempus aliquod e lingua ejiciendum sufficeret, pleraque recentiorum linguarum tempora, ea puto, quae ejusdem generis verborum ope formantur, ejicere necesse esset. Quare, quum Schmidtio ipso concedente (de Aor. p. 26) Graecae formae, verbi *μέλλειν* ope formatae, usu prorsus congruunt cum latino futuro periphrastico, non est, cur Graecis non aeque, ac Latinis tempora illa tribuamus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

genus hominum, apud quos aliquando oratori dicendum erit; futurum periphrasticum autem eos, apud quos ut agat, praesenti munere, magistratu, causa suscepta vel horum similibus destinatus est. Absurda autem est eorum interpretatio, qui verbis „acturus est" etiam remotius futurum tempus significari contendunt [39]).

De iis Latinorum formis, quales sunt: scripturus fui, fueram, fuero; hortatus fui, fueram, fuero; scriptus fui, fueram, fuero, quibus vel inchoanda aliqua, vel perfecta res una cum conditione vel antecedente vel subsequente ad aliam etiam remotioris temporis conditionem refertur, quum usus earum, si enuntiata conditionalia eaque, in quibus participia vera adjectiva sunt, exceperis, perexiguus sit, pluribus agere omitto, satis habens unum adjicere, ejusmodi temporum amplificationem, ex sententiarum compositione ac necessitudine ortam, a ratione nostra non esse alienam [40]).

§. 13.

Tempora rei infinitae s. aoristi.

Eis is, qui loquitur, rem ad terna tempora relatam sub unum quasi adspectum audientis animo subjicit, ita ut neque in actionis motu ad singula momenta, neque in conditionis stabilitate ad singulas partes attendat, neque quidquam intersit, utrum illud temporis spatium, quo res inclusa est, longum sit, an breve, sicut infinita linea modo in immensum producta, modo in puncti brevitatem contracta animo fingi potest. Proprius autem horum temporum, praecipue praeteriti, usus pro eorum vi ac natura in narrandis iis rebus est positus, quae semel factae aut per se diuturnae non sunt, aut diuturnitate non respecta simpliciter factae esse memorantur. Ea quae sequuntur exempla ita sunt comparata, ut quum varium aoristorum usum ostendant, tum praeter actiones etiam conditiones his temporibus efferri posse declarent. Cic. Tusc. 1. 1: „Livius fabulam dedit anno ante natum Ennium". Id. Att. 13, 47: „Lepidus ad me heri vesperi literas misit Antio". Liv. 1, 22: „Romulus septem et triginta regnavit annos". Xen. Anab. 1, 3: „Ἐνταῦθα ἔμεινε Κῦρος καὶ ἡ στρατιὰ ἡμέρας εἴκοσιν". Soph. Aj. 495: „Ἴδετε τὴν ὁμευνέτιν Αἴαντος, ὃς μέγιστον ἴσχυσε στρατοῦ". Cic. Verr. 2, 5, 33: „Stetit soleatus praetor populi Romani muliercula nixus in litore". Ibidem 2, 3, 23: „Tamdiu pependit in arbore socius populi Romani, quamdiu voluntas Apronii tulit". Phaedr. I, 24: „Dum vult validius inflare sese, rupto jacuit corpore". Praesentis aoristum habemus his locis: Liv. 1, 30: „Roma crescit Albae ruinis; duplicatur civium numerus; Coelius additur urbi mons"; Virg. Aen. 2, 3: „Infandum, regina, jubes renovare dolorem"; Futuri ibidem 1, 279: „Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus Romulus excipiet gentem et Mavortia condet Moenia Romanosque suo de nomine dicet"; et V. 290: „Nascetur pulchra Trojanus origine Caesar".

Definitio supra a nobis in medium proposita, paucis mutatis, Harrisiana est, quae et rationi nostrae una est consentanea, et usu sic probata, ut omnia significationis discrimina contineat; modo ne, quod ex propriis vocabulis vel toto orationis habitu sententiae habeant, horum temporum significationi adscribatur. Summa autem est de eorum vi ac potestate inter viros doctos dissensio. Missis veterum ineptiis, qui aoristum ita appellari ajebant, quod aut non indicaret, paullone, an multo ante res praeteriisset, aut promiscue non de quovis praeterito tantum, sed de

[39]) Schuetzius ad h. l., cui Billerbeckius assentitur.

[40]) Plura ea de re vide apud Schmidtium de D. T. II, p. 21.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

omni tempore diceretur [41]), missis etiam recentiorum erroribus [42]), qui infinitam horum temporum vim non in re elata, sed in universo tempore positam esse putabant: eorum tantum opiniones recenseamus, qui, quum ab iisdem, principiis, atque Harrisius, actione, profecti essent, eo tamen, quod rem, quae per se infinita est, accuratius definire tentarent, atque quod sub uno adspectu audientium animis proponitur, in eo singulas partes distinguere ac discernere vellent, in varios ac diversos errores inducti sunt. Ita enim factum est, ut alii, et quidem plerique veterum ac nonnulli recentiorum grammaticorum, aoristum praeteriti perfectae rei temporibus adnumerarent, alii, ut Fritschius [43]), infectae. H. Schmidtius autem, qui recte illorum ratione infinitae et definitae rei temporum potestates confundi vidisset, „conflatis eorum sententiis in unam, veritatem emergere" putabat. Itaque non eam, „quae fieri, nec quae facta esse, sed quae fieri facta seu perfici cogitaretur, actionem aoristo exprimi, eamque ob rem neque infectam illam, neque perfectam, sed junctis rectius nominibus infecto-perfectam appellandam esse" censuit [44]). Qua ratione quum plane insociabilia conjungere conatus esset, in tantas spinas definitionem aoristi compulit, ut vix, quid declaret, expediri atque intelligi posse videatur. Ex iis autem, quae explicationis causa attulit, cognoscimus, eum propriam ac primariam hujus temporis vim putare, ut animum audientis progredi cum progrediente actione cogat [45]). Quod quum supra non aoristo, sed imperfecto peculiare ac proprium esse viderimus, hic satis habemus hoc unum adjicere, definitionem illam etiam ad ejusmodi verba non esse accomodatam, quibus non actio ac motus, sed conditio ac stabilitas significatur, quorum exempla a nobis supra allata sunt.

§. 14.

Ut de vi ac potestate, ita ne de numero quidem aoristorum inter viros doctos satis constat. Nam quum de praeteriti futurique aoristis nemo fere dubitet, extiterunt, qui praesens infinite posse usurpari negarent. Id vero a nostra quidem ratione adeo est alienum, ut etiam latius praesentis aoristum patere, quam ceteros ponere debeamus. Primum enim quin res ad praesens tempus ita referatur, ut singulorum momentorum non habeatur ratio, nihil est, cur dubitemus; modo ne, ut vulgo fere fit, ea praesentia aoristos existimemus, quae, ut „dicunt", „tradunt", similia, aliquid aliqua temporis parte, quaecunque illa est, fieri indicant, sed ea, quae, si res e praeterito spectatur, in hujus temporis aoristum mutanda sunt. Ut enim infinite dici posse constat: „Conon plurimum Cypri vixit" (Nep.), cur non aeque infinite dicatur: „amicus meus modo Romae vivit, modo Parisiis"? Utrumque enim narrantis est; utrumque rem, singulorum momentorum non habita ratione, simpliciter aut factam esse aut fieri significat. Ac quum praesens aoristi praeteriti munus obit, saepiusque ejusmodi praesentia, quae historica dicuntur, et aoristi in uno eodemque enuntiato promiscue ponuntur: num verisimile est, alterum tempus vere infinitum esse, alterum quod vice ejus fungitur, non esse? Quod autem Schmidtius [46]) eam ob

---

[41]) Copiosius Schmidtius de iis disputat de D. T. III, p. 2 sqq.

[42]) Qui supra (§. 7 et 10) a nobis notati sunt.

[43]) Kritik der bisherigen Tempus- und Moduslehre p. 165 sqq.

[44]) De D. T. IV, p. 10; de aor. p. 6, 8, 41 sqq.

[45]) Postremo loco dicit: „Für den eigentlichen und allgemeinen Beruf des Aorists erkläre ich, daß er die Hörer zum Fortschreiten mit der selbst fortschreitenden Handlung zwingt".

[46]) De Aor. p. 5: „Beim Präsens läßt sich eine solche Form nicht denken; denn da das Wesen desselben eben darin besteht, daß der Redende sich in den Mittelpunkt des Zeitabschnittes, in welchen die Handlung fällt, gestellt denkt, so

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

causam infinitam praesentis formam cogitari posse negat, quod quum hoc tempore ejus, qui loquitur, animus in medio spatio, in quod actio cadat, se positum fingat: sublato illo temporis puncto unaque statu ex eo suspenso, etiam praesentis notio tollatur: non una causa nobis falsum esse videri debet. Primum enim statum illum in his temporibus, quum actio efferatur, nullum esse supra probasse nobis videmur; deinde etiam illa praesentia, quibus res non ad tempus ejus, qui loquitur, sed aut ad alius rei tempus, aut ad omnium aetatum tempora refertur, argumento sunt, illo loquentis statu ac domicilio sublato, non una tolli omnem praesentis notionem. Subjectivi quidem praesentis, ut ita dicam, notio tollitur, neque tamen relativi aut absoluti. Nam quum Horatius dicit (Epp. I, 18, 84): „Tua res agitur, paries quum proxima ardet", non cogitat de eo tempore, quo loquitur; subjectivum igitur praesens nullum est.

§. 15.

Reliquum est, ut, quid inter aoristum praeteriti et praesens rei perfectae intersit, doceamus. Hoc finitam aliquam rem ad praesens tempus referri, seu e praesenti tempore spectatam rem finitam esse enuntiari vidimus; aoristus contra rem, singulorum momentorum non habita ratione, ad praeteritum tempus refert, ita ut is, qui loquitur, et ipse animo ac cogitatione se illo tempore esse fingat, et audientium animos, ut idem faciant, inducat. Jam vero negari non potest, in multis enuntiatis rei quidem nihil interesse, utrum hoc, an illud fiat. Sic enuntiati: „Hannibal Romanos ad Cannas vicit", sententia non mutatur, sive explicas: „Hannibal aliquis est, qui e praesenti tempore spectatus (olim) R. ad C. vicit, sive: Hannibal aliqua praeteriti temporis parte victor fuit Romanorum ad C.. Atque haec etiam causa fuisse videtur, quod Romani propriam aoristi formam non finxerunt. In aliis autem enuntiatis praeterita res e praesenti tempore spectari non potest. Sumamus exempli causa locum Ciceronis (Q. Fr. I, 1, 7): „quotiescunque quisque voluit, dixit", ubi per se quidem primaria sententia ista ratione explicari potest: est aliquis, qui e praesenti tempore spectatus (tum toties) verba fecit; sed altera sententia ejusmodi explicationi prorsus repugnat, neque possumus non alterius verbi tempus ex altero spectare eamque ob rem ipsos nos illo esse cogitatione fingere. Idem in omnibus enuntiatis accidit, in quibus duorum vel plurium verborum tempora, alterum ex altero, pendent. Quare si in his facta e praesenti tempore spectari nequeunt, si etiam in superioribus naturae rei multo accomodatius ad praeteritum potius, quam ad praesens tempus referuntur: falsam existimemus necesse est opinionem eorum, qui, ut Putschius [47]), perfectum latinum semper finitam actionem, cujus subjectum is, qui loquatur, ad se suumque tempus i. e. praesens cogitando transferat, significare volunt. Atque quae et ratio et usus discernunt, ideo, quod forte forma non sunt disjuncta, confundere jure dubitamus.

De iterationis et consuetudinis notione, quae falso aoristis tribuitur, altera quaestionis nostrae parte, ad quam jam accedimus, disputabitur.

---

würde, sobald man diesen Punkt und mit ihm den sich daran lehnenden Zeitzustand wegnähme, auch der Begriff des Präsens verloren gehen." Cf. praeterea p. 70 sqq.; de D. T. III, p. 30.

[47]) In singulari disputatione: „Ueber die vermeintliche doppelte Bedeutung des lat. Perfects" (Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft, Jahrg. 1842, Beiblatt p. 264 sqq.), ubi p. 267 hoc dicit: „Fassen wir also das Perfect nur in einer Bedeutung, und zwar als Präteritum auf" — et paulo inferius: „Das Perfect bezeichnet eine (gleichviel, ob längst, oder eben erst) vollendete Handlung, deren Subject der Redende zu sich in die Gegenwart versetzt."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PARS II.

De iis enuntiatis, in quibus aoristus praeteriti iterationis vel diuturnitatis significationem habere videtur.

§. 1.

Quam supra imperfecti, sicut omnium rei durantis temporum, propriam esse vidimus iterationis, consuetudinis, diuturnitatis significationem, quum eadem saepenumero in enuntiatis separatim alio modo, vel certis quibusdam vocibus [1]), vel toto orationis habitu exprimatur, quaeri potest, quamnam in his verbum sequatur temporis rationem, utrum loquendi usus imperfectum teneat, an aliud tempus optet. — Ii, quibus ad leges grammaticas tradendas in scholis utimur, libri ad unum omnes nihil fere de hac re praecipiunt; immo inter eos, qui speciatim de temporum doctrina egerunt, haud pauci inveniuntur, qui falso illam, quae aliunde enuntiatis infertur, significationem aut ipsis temporum formis adjudicarent, aut enallagen, quam dicunt, temporum factam esse putarent [2]). Operae igitur pretium esse videtur, accuratius in hanc rem in-

---

[1]) Id fieri posse, nemo negare poterit, qui et nos in vertendis graecorum vel latinorum imperfectis saepe ad ejusmodi vocabula confugere debere consideraverit, et linguas esse, quae temporum formis omnino careant, quibusque non solum diversa rei elatae momenta, sed etiam universi temporis notio non verbi formis, sed propriis particulis exprimantur. Vide ea de re Guil. Humboldtii librum, quem supra (an. 8) commemoravimus, quum aliis locis, tum P. II, p. 845 sqq.

[2]) Testimonii causa hos profero: Hueppius in commentatione, quam inscripsit: „De vi et usu indicativi temporum perfecti et imperfecti apud Latinos“ quaque praefatus est annalibus gymnasii Coesfeldensis a. 1839 pag. 6: „Perfectum“, inquit, „usurpatur interdum ad mores et instituta describenda et imperfecti locum obtinere videtur, qui usus apud Cornelium Nepotem saepius invenitur. Cim. 4: „„Fuit enim tanta liberalitate, quum pluribus locis praedia hortosque haberet, ut nunquam in eis custodem imposuerit; — *semper* eum pedisequi cum nummis *sunt secuti*; — *saepe* quum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum *dedit*. *Nulli* fides ejus *defuit*; *multos locupletavit*.““ Sequuntur ejusdem generis exempla alia.

Hermannus, ut aoristo „iterationis, frequentationis, moris, consuetudinis“ significationem vindicaret (de E. r. g. g. p. 187), ejusmodi utitur exemplo, in quo illa significatio singulari voce (πολλὰ) totoque orationis habitu sententiae tribuatur. Est autem hoc (Pind. Olymp. XII, 14): „Πολλὰ δ' ἀνθρώποις παρὰ γνώμαν ἔπεσεν Ἔμπαλιν μὲν τέρψιος· οἱ δ' ἀνιαραῖς Ἀντικύρσαντες ζάλαις Ἑσλὸν βαθὺ πήματος ἐν μι-Κρῷ πεδάμειψαν χρόνῳ.“

Partim H. Schmidtius quoque hic commemorandus est, qui, quum alio loco rectum doceret, ut contra Hermannum et in perfectum graecorum iterationis ac consuetudinis significationem cadere, et aoristo rem certo quodam tempore repetitam designari, (De D. T. IV, p. 25 sq., p. 28) ita comparata profert exempla, in quibus illa notio non tam verbi formis, quam propriis vocabulis, qualia sunt: τίς, πολλοί, πάντες, similia, efficiatur, id quod jam Frankius in illius libri censura animadvertit.

Huc denique pertinet, quod Weissenbornius (l. l. p. 8) tradit: „Allgemeine Wahrheiten, die sich oft in der Vergangenheit bewährt haben, können als dieser angehörig betrachtet und durch das Perfectum ausgedrückt werden: „„Avaritia pecuniae studium habet, quam *nemo* sapiens *concupivit*. Ob debilitatem animi *multi* parentes, *multi* amicos, *plerique* autem se ipsos *perdiderunt* (Cic. Fin. 1, 15).““ Ejusdem generis leges similibus munitae exemplis ab aliis quoque grammaticis praecipiuntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quirere, et quid quum ratio, tum loquendi consuetudo praecipiat, explorare. Illa autem hanc legem videtur suadere: *Si id, quod imperfecto significari solet, separatim singulari vocabulo designatur, hoc si verbum est, infinitivus, si particula vel alia orationis pars, aoristus praeteriti optandus est.*

De verbo res est notissima: imperfectum enim solum saepe idem fere significare constat, quod tempus praeteritum verbi solendi seu consuescendi sequente infinitivo primarii verbi. Sed etiam alterum usu sermonis probari, haec declarant exempla: Cicero scribit (Cat. M. 13, 43): „*Saepe audivi* a majoribus natu, mirari solitum C. Fabricium" —, et eodem libro (21, 78): „*Audiebam*, Pythagoram Pythagoraeosque nunquam dubitasse" —: Quis non videt, verba „*saepe audivi*" prioris enuntiati idem significare, quod imperfectum „*audiebam*" alterius, scriptoremque illic, omissa particula „*saepe*", *audiebam*, et hic, adjecta illa particula, „*audivi*" scripturum fuisse? Atque quum eodem libro legimus (14, 49): „*Quoties* nox eum *oppressit*, quum mane coepisset! quam *delectabat* eum — praedicere!" Quis est, quin concedat, in illa sententia aoristum usurpatum esse, quod iterationis significatio jam particula „*quoties*" contineatur, imperfectum in hac, a qua ejusmodi vocabulum absit?

§. 2.

Latius autem ea lex patet, neque solum ad alia tempora, sed etiam ad modos pertinet. Primum enim quod „*antequam*", „*priusquam*", „*postquam*", „*ut primum*", „*quum primum*" conjunctiones [3]) plerumque non plusquamperfecto junguntur, sed perfecto, vel alii verbi formae, ejus rei causa nulla alia est, nisi quod illae particulae: „*ante*", „*prius*", „*post*", „*primum*" per se ipsae jam id indicant, quod plusquamperfecti forma exprimi solet, alteram rem alteri antecedere; ita tamen, ut „*ante*", „*prius*", „*post*" ad primariam sententiam cogitatione trahenda sint, „*primum*" ad secundariam. Haec autem relativa est iisdemque legibus subjecta, quae in omnibus relativis sententiis valent. Sed res illustranda est exemplis. Hic Phaedri locus (1, 11): „Qui *postquam* caede *fessus est*, asinum evocat", proprie sic cogitandus est: Qui post asinum evocat, quam caede fessus est. Atque hic Ciceronis (Phil. 12, 9): „Cui fui semper amicus, *antequam* reip. *est factus*

Contra autem extiterunt quoque, qui rectum viderent idque occasione aliqua oblata cursim proponerent. Primus id fecisse videtur Fikenscher in censura Krebsiani libri, cui titulus: „Anleitung zum Lateinschreiben. Frankfurt 1825". (Allgemeine Schulzeitung 1825 p. 614), ubi plura, quae ad rem nostram pertineant, docte atque acute disputavit. Praeter eum commemorandi sunt:

Schulzius: (Bedeutung und Aufeinanderfolge der lat. Tempora) p. 3: „Ziemlich häufig findet man einen Aorist. praet., wo im genauern Ausdruck eigentlich ein relatives Tempus erforderlich war, nämlich, wenn die spezielle Beziehung sich von selbst versteht und leicht aus dem Zusammenhang ersichtlich ist." —

H. Schmidtius (de D. T. IV, p. 13): „Quamquam quum per semet ipsam actionem in puncti illam brevitatem coarctari viderimus, si totam ejus perpetuitatem audientium animis obversari volumus, hoc sequitur diserte nobis aut toto orationis habitu, aut singulis verbis significandum esse".

Frankius in censura ejus libri p. 245: „Der Aorist hat diese Bedeutung (einer in einer bestimmten vergangenen Zeit wiederholten Handlung) nie. Es kann aus der Natur der Sache, von der die Rede ist, hervorgehen, daß sie nicht einmal, sondern oft vorgekommen ist, wie Il. ϑ, 188: [κομιδὴν μαλὰ πολλὴν] ἔθηκεν· es kann das ausdrücklich angegeben werden [quod etiam in primo exemplo valet], wie ἀεὶ ἑσπόμην (Soph. Tr. 1076); εἴ τέ τι ἐγένετο, πάντων — μετεσχόμην (Thuc. III, 54)."

[3]) Aliam atque diversam rationem sequuntur reliquae ejusdem significationis: „*simulac*", „*simulatque*", „*ut*". „*ubi*", quae proprie aliquid eodem tempore, atque aliud, factum esse significant. Concitatiore autem dicendi genere fit, ut is, qui loquitur, rem statim post aliam factam eodem tempore factam esse enuntiet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inimicus", idem est, quod: „Cui ante id tempus, quam reip. est factus inimicus, semper amicus fui. Apud Livium (24, 31, 2): „*Postquam* — *pervasit* rumor fremitusque toto agmine *erat*, — extemplo praetores ad prima signa perrexerunt", vel duo diversa tempora conjunctioni „*postquam*" junguntur: perfectum „*pervasit*" positus est, quia res simpliciter narratur, singulorum momentorum non habita ratione, imperfectum „*erat*", quia fremitus ille saepius repetitus ac diuturnus cogitandus est. Qua de re vide quae a Fabrio ad Liv. 21, 13, 4 annotata sunt. [4])

Eadem ratione fieri, ut apud Graecos aoristus praeteriti plusquamperfecti vices obire videatur, post particulas ἐπειδή, ὅτε, ἐπεί, ὡς, alias et in enuntiatis relativis et causalibus, quum ex tota orationis perpetuitate temporum inter se ratio intelligi possit, observavit H. Schmidtius de D. T. IV, p. 27 sq.

Huc etiam ea enuntiata pertinere videntur, in quibus, quia primaria sententia futurum tempus aliqua voce jam expressum continetur, in secundaria non futuri, sed alius temporis conjunctivus ponitur. Sic apud Livium (23, 15): „Deinde — praemia atque honores, qui *remansissent* ac militare secum *vellent*, *proposuit*", sola particula „*pro*" ad futurum notandum sufficit. — In modis autem eandem legem valere, declarant particulae: „*fortasse*", „*forte*", aliae, quae indicativo junctae sententiam efficiunt, sine illis conjunctivo exprimendam. Qua de re uberius disputat Weissenbornius (Synt. der lat. Spr.) p. 24.

§. 3.

Valet igitur lex in temporibus, qua lege, si quid, quod definitae rei formis significari solet, separatim alio modo designatur, infinitae rei formas ponere licet. — Jam vero, ut ad rem nobis propositam revertamur, imperfectum quatenus illa lege teneatur, videamus. Ac primum quidem de iterationis ac consuetudinis potestate agere placet. Potest autem rei saepius repetitae ratio duplex esse, ut aut ab uno eodemque fiat iteratio, aut a pluribus; utramque enim supra ad imperfectum pertinere vidimus exemplisque illustravimus. Separatim autem haec significatio exprimitur ejusmodi vocibus, quibus repetita actio in definitum aut infinitum numerum singularum actionum dissolvitur. Illud fit numeralium ope, hoc vocabulis, qualia sunt: *saepe*, *quotidie*, *quotannis*, *quoties*, *plerumque*. *multi*, *pauci*, *plerique*, *omnis*, *quisquis* ejusdemque generis alia. Ex magna exemplorum, quae collegi, multitudine, haec exscribo: Virg. Aen. 12, 155: „*Ter quaterque* manu pectus *percussit honestum*". Quintil. XII, 11, 6: „Pansam, Hirtium, Dolabellam in morem praeceptoris *exercuit* (Cicero) *quotidie*, dicens, audiens". Virg. Aen. 12, 483: „*Quoties* oculos *conjecit* in hostem, Aversos *toties* currus Juturna *retorsit*". Cic. Verr. V, 33: „Hoc ipso istum vestitu Siculi *saepe viderunt*". Catil. I, 11, 28: „*Persaepe* etiam privati in hac rep. perniciosos cives morte *multarunt*". Pro Quintio 31: „Quorum *saepe* et *diu* ad pedes *jacuit* stratus". Cic. Catil. I, 5: „*Quotiescunque* me *petisti*, per me tibi *obstiti*, quamquam videbam". — Brut. 27, 6: „Carbo, quod vita suppeditavit, *est* in *multis* judiciis causisque *versatus*". Nep. Att. 4: „Ciceroni (Atticus) in *omnidus* ejus periculis singularem fidem *praebuit*". Ibid.: „*Hic*

[4]) Quod „*postquam*" plerumque indicativo, „*antequam*" conjunctivo jungitur, ejus rei causa haec esse videtur. Illo actio secundariae sententiae actionem primariae antecedere, hoc eam sequi indicatur: illa igitur actio, quia vere facta neque ex altera suspensa cogitatur, nisi alia sententiarum inter se ratio intercedit, indicativo, haec, quia cum primaria actione necessario quodam vinculo conjuncta est, conjunctivo efferri solet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

complures annos moratus — nihilo minus amicis urbana officia *praestitit*. Nam et ad comitia eorum *ventitavit*, et si qua res major acta est, non *defuit*". Cic. Brut. 67 in.: „M. Piso, *quidquid habuit*, *habuit* ex disciplina". Nep. Hann. 23, 1: „Hannibal, *quotiescunque* cum Romanis *congressus est* in Italia, *semper discessit* superior". Cic. Phil. III, 12, 31: „Haec eadem, *quacunque* exercitum *duxit*, *fecit* Antonius".

Huc etiam pertinent ii loci, quos supra ab Hueppio, Hermanno, Schmidtio allatos esse commemoravimus, neque cum primo perfectum unquam imperfecti munus obire, neque cum ceteris aoristum praeteriti iterationis vel consuetudinis significationem habere putandum est.

In negativis sententiis, etiam quum consuetudines ac mores describuntur, saepius aoristus praeteriti, quam imperfectum invenitur. Res enim, quae facta esse negatur, proprie neque saepius repetita, neque per longius temporis spatium durasse cogitari potest. Consuetudinis igitur notio magis toto orationis habitu, quam verbi forma explicatur. Exempla ad hunc usum illustrandum accomodata quum alii scriptores praebent multa, tum praecipue Cornelius Nepos, ut Att. 6: „Honores *non petiit*, quum ei paterent. — Ad hastam publicam *nunquam accessit*. *Nullius* rei *neque* praes, *neque* manceps *factus est*. *Neminem neque* suo nomine, *neque* subscribens *accusavit*. In jus de sua re *nunquam iit*; judicium *nullum habuit*. *Multorum* consulum praetorumque praefecturas delatas sic *accepit*, ut neminem in provinciam sit secutus". Ibidem 15: „*Nunquam* suscepti negotii eum *pertaesum est*. Suam enim existimationem in ea re agi *putabat*, qua nihil habebat carius". Qui locus hoc etiam magis notatu dignus est, quod imperfecta et praecedunt et sequuntur. Denique etiam frequentativorum verborum, quae dicunt, quum ad praeteritum tempus referuntur, quia iterationis notio ipsa significatione continetur, solum fere perfectum ponitur, quod hi Ciceronis loci probant: Brut. 26, 8: „Nam et causas defensi*tavit* (Fannius), et tribunatus ejus, arbitrio et auctoritate P. Africani gestus, non obscurus fuit". Ibid. 77: „Sunt etiam ex iis, qui eodem bello occiderunt, M. Bibulus, qui et *scriptitavit* accurate, quum praesertim non esset orator, et *egit multa* constanter".

Ad postremum hic commemorandae sunt illae sententiae, quibus apud Graecos et Latinos eae res, quas non semper, sed nonnunquam fieri usus docet, aoristo praeteriti ita enuntiantur, ut e proposito aliquo facto praeteriti temporis is, qui loquitur, audientibus de praesenti conjecturam facere permittat. Sic illud Demosthenis (Ol. 20) a Buttmanno exempli causa allatum: „*Μικρὸν πταῖσμα ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσε πάντα*", proprie significat: Jam factum est, ut levis aliquis lapsus omnia perturbaret et subverteret; cogitatione autem explendum: atque idem quum omni tempore, tum nostro accidere potest. Consuetudinis igitur notio etiam hic non temporis forma, sed toto orationis habitu efficitur. Similis Horatii est locus (Od. III, 29): „Plerumque gratae divitibus vices sollicitam explicuere frontem". Pari modo, praeeunte Homero, poëtae epici in similitudinibus comparandis ita versantur, ut rem comparationis causa adhibitam non generatim atque universe, sed singulatim, tanquam olim facta sit, proponant. Sic Hom. Il. γ, 33: „*Ἀλέξανδρος ἄψ δ' ἑτάρων εἰς ἔθνος ἐχάζετο· ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη.*"

§. 4.

Diuturnitatis notio separatim sententiis aut certis quibusdam particulis, quales sunt: *diu*, *assidue*, *perpetuo*, similia, aut aliis vocibus definitum aut infinitum tempus indicantibus tribuitur. In his autem etiam multo rarius, quam in praecedentibus, et apud Graecos et apud Latinos, imperfectum usurpari, diuturna observatio magnusque locorum collectorum numerus me docuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hosce ad rem nostram confirmandam proponimus: Cic. Brut. 1, 7: „*Vixit* Hortensius *tam diu*, quam *licuit* in civitate bene beateque vivere". Ibidem 25: „*Diu restitit*"; ibidem 47: „ita *diu vixit*". Or. 1: „*Diu multumque dubitavi*". Pro Archia 5: „*quamdiu* incolumis *fuit*". Catil. 5, 11: „*Quamdiu* mihi consuli designato *insidiatus es*, non publico me praesidio, sed privata diligentia *defendi*". — Fam. 12, 19: „Qui se oppido munitissimo *tamdiu tenuit*, *quamdiu* in provincia Parthi *fuerunt*". Att. 4, 13: „*Diu multumque* in manibus *fuerunt*". Agrar. 2, 32: „De Capua *multum est ac diu consultum*". Phil. III, 13, 33: „Hoc *feci*, *dum licuit*, intermisi, quoad non licuit". Nep. Att. 3: „*Quamdiu affuit*, — *restitit*". Ibidem 4: „*Quamdiu* Sulla Athenis *fuit*, secum *habuit* Pomponium". Cic. Brut. 91, 10: „*Assiduissime* mecum *fuit* Dionysius Magnes; erat etiam Aeschylus Cnidius". — Verr. II, 1, 23: „Duo signa, quae nunc ad impluvium tuum stant, *multos annos* ad valvas Junonis Samiae *steterunt*". Brut. 14: „*Vivo Catone* minores natu multi oratores *floruerunt*". Ibidem 91: „Quum venissem Athenas, *sex menses* cum Antiocho *fui*". Ibidem 94: „*Duodecim* post meum consulatum *annos* in maximis causis conjunctissime *versati sumus*". Ibidem 96: „Ille *a Crasso consule et Scaevola usque ad Paullum et Marcellum consules floruit*". E graecis scriptoribus haec affero exempla: Xen. An. ψ, 3, 2: „*Ἑπτὰ γὰρ ἡμέρας, ὅσαςπερ ἐπορεύθησαν διὰ τῶν Καρδούχων πάσας μαχόμενοι διετέλεσαν*". Ib. 3, 4. 36: „*Καὶ χρόνον μέν τινα ἔπεσχον*". Frequens apud eundem scriptorem est aoristus verbi *μένειν* adjuncto numero aliquo dierum, ut 1, 4, 7: „*Ἐνταῦθ' ἔμειναν ἡμέρας ἑπτά*". Ibidem 11: „*Ἐνταῦθα ἔμειναν ἡμέρας πέντε*". Alios locos collectos invenis apud Schmidtium. (De D. T. IV, p. 13), quorum imprimis memorabilis est hic Thucydidis (II, 65): *Ὅσον τε γὰρ χρόνον προύστη (ὁ Περικλῆς) τῆς πόλεως ἐν τῇ εἰρήνῃ, μετρίως ἐξηγεῖτο καὶ ἀσφαλῶς διεφύλαξεν αὐτήν*".

§. 5.

Jam vero, quum in omnibus enuntiatis, in quibus iterationis, consuetudinis, diuturnitatis notio propriis vocibus vel toto orationis habitu exprimitur, aoristo praeteriti suum esse locum comprobasse nobis videamur, reliquum est, ut de iis locis agamus, ubi imperfectum ad ejusmodi singulares significationes accedit. Cujus rei causas quum quaererem, has causas inveniebam duas, quarum una ad ea modo enuntiata pertinet, quae iterationis et consuetudinis significationem habent, altera in omnibus valet [5]). In illis enim is, qui loquitur, aut singulas partes iteratae actionis per se spectatas longius temporis spatium durasse enuntiare potest, aut id agere, ut audientium animi ad eas diligentius attendant ac quasi commorentur. Quorum alterum, vel etiam utrumque loci, qui sequuntur, ostendunt: Cic. Brut. 88, 4: „*Saepissime* autem eodem die utrumque *faciebat*". Ibidem 90, 6: „*Commentabar* declamitans *saepe* cum M. Pisone et cum Q. Pompejo, aut cum aliquo *quotidie*; idque *faciebam multum* etiam latine, sed graece *saepius*". Ibidem 95, 6: „*Saepe videbam* quum irridentem, tum etiam irascentem et stomachantem Philippum; sed *mirabantur* adolescentes, multitudo *movebatur*", Cat. M. 23, 82: „Sed nescio quomodo animus erigens se, posteritatem ita *semper prospiciebat*, quasi quum excessisset e vita, tum

---

[5]) Huic rei etiam attribuendum est, quod multo rarius post *diu*, *quamdiu* ejusdemque generis alias voces imperfectum positum invenitur, quam quae iterationis vel consuetudinis notionem habent. Hae enim quum mea quidem observatione tertio vel quarto quoque loco imperfecto juncta occurrant, illae vix decimo quoque inveniuntur. Ceterum hoc quoque memoratu dignum esse videtur, post *saepe*, quum iterationis vis, quam habet, negatione minuatur, semper fere imperfectum poni, ut apud Ciceronem (Brut. 34, 7): „Etsi (C. Sextius Calvinus)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

denique victurus esset". Or. Phil. 3, 20, 26: „Hunc quoque felicem! hanc enim *habebat semper* in ore provinciam". Ibid. 1, 1: „Quod *flagitabam* equidem *quotidie*". Ib. 9, 23: „Atque id erat periculum, de cujus honore extraordinario *quotidie* aliquid *cogitabamus*, ne ejus usitatus honos impediretur". Brut. 78, 5: „*Excogitabantur* ab eo *multa*".

Qui loci priorem illam explicationem non admittunt, in iis altera causa statuenda est, atque idem factum esse existimandum, quod quum in omnibus linguis, tum saepissime in graeca et latina fieri solet, ut ad vim orationis augendam duae voces ejusdem vel similis significationis jungantur. Ea autem res quum tota ex ejus, qui loquitur, arbitrio pendeat, pauca exempla sufficient: Cic. Brut. 40 in.: „Etsi satis mihi videbar habere cognitum Scaevolam ex iis rebus, quas *audiebam saepe* ex C. Rutilio —, tamen ista mihi ejus dicendi laus nota *non erat*". Ibidem 51 in.: „Hortensius quum partiretur tecum causas, perorandi locum — *semper* tibi *relinquebat*". Nep. Them. 1: „*Saepe* in concionem populi *prodibat*". Cic. Fam. 5, 7: „*Semper pollicebar*". De Off. 2, 1: „Ego, *quamdiu* resp. per eos *gerebatur*, — conferebam" [6]).

Huc etiam illi loci trahendi esse videntur, in quibus negatae res praeteriti temporis, quas supra saepius aoristo efferri diximus, imperfecto efferuntur. Utrisque enim locis inter se comparatis, vix alia causa imperfecti reperiri poterit, quam illa dicentis vim orationis augendi voluntas. Sic Nep. Att, 15: „Mendacium *neque dicebat*, neque pati *poterat*". Cic. Cat. M. 5, 14: „Quod *non faciebat* is, cujus modo mentionem feci". Idem Brut. 55, 6: „*Non probabantur* haec senibus".

Haec habui, de aoristo praeteriti in iis enuntiatis, in quibus iterationis, consuetudinis, diuturnitatis significatio inest, quae dicerem. In quibus, si quis forte aliquid requirit, hanc mihi excusationis causam fore spero, quod primus sum, qui illam materiam singulari quaestione tractavi. Iis vero, quantulacunque sunt, ad temporis doctrinam illustrandam discentiumque commoda vel minimum me contulisse, unum mihi in optatis est.

---

quum remiserant dolores pedum, non deerat in causis, tamen id *non saepe faciebat*". — Etiam adverbia *vulgo, fere*, etsi in sententias consuetudinis quandam notionem inferunt, plerumque tamen imperfectum sequitur; cujus rei causa haec esse videtur, quod ab illo proprie consuetudinis notio abest, quia significat *in vulgo, per vulgus*, hoc nimis tenuem vim habet, quare etiam fit, ut aliis verbis ejusdem significationis, qualia sunt: *vulgo, semper*, solere consuescere jungi soleat.

[6]) Graeci scriptores in universum quidem eundem loquendi morem sequuntur, in singulis tamen a Latinis recedunt, sic, ut exemplum afferam, ὅσον χρόνον, quod latinum *quamdiu* valet, rarius ab iis aoristo, quam imperfecto jungitur. Cf. Xen. Cyrop. 5, 3, 25; 5, 5, 39; Anab. 2, 4, 26.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf